LOCI COM MVNES IV RIS CI VILIS

*

Ex mendis tandem, & barbarie, in gratiam ſtudioſorum utiliter reſtituti.

ADDITA SVNT

Præſumptionum ferè omnium, quæ in foro frequentantur, Exempla.

CVM

IOAN. OLDENDORPII

Epiſtola nuncupatoria.

*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1545.

ERVDITO ATQVE PRVDENTI uiro, D. Petro Zaſsio, Senatus Roſtocenſis à ſecretis, longè diſertiſsimo,

IOAN. OLDENDORPIVS S. P. D.

EDITVS fuit annis ſuperioribus, neſcio quo autore, libellus, Ornatiſsime uir, titulo admodum plauſibili: ut qui flores legum exhibere uideretur ſtudioſis. Hunc & ego nactus, ſolebam apud auditores meos ideo commendare, quòd Locos ex Iure ciuili communes, ipſis duntaxat Iuriſconſultorum ſententijs adprobaret, nullis ferè aut gloſſarum, aut commentatorum uſus teſtimonijs. Placuit item Alphabetica propoſitionum digeſtio, per quam lector uehementer adiuuari ſolet. Cæterùm, mendis adeò ſcatentem atque neglectu calcographorum deprauatum circumferri, ſicut & alia multa, deplorabam: ut nullum planè uſum aut in ſcholis, aut in foro præſtare poſſet. Hæc cùm ſemel atque iterum ex me audiuiſſet in Academia hac Marpurgenſi Michael

LOCI IVRIS COMMVNES.

A.

ABſentem accipere debemus, eum, qui non eſt in eo loco, in quo petitur. Non enim trans mare abſentem deſideramus: ſed ſi forte extra continẽtia urbis ſit, abeſt. Cæterum uſque ad continentia non abeſſe uidetur, ſi non latitet. Vlpian. in l. abſentem. ff. de uerbor. ſignificat.

Abſentia eius, qui reipubl. cauſa abeſt: neque ei neque alij damnoſa eſſe debet. Vlpian. in l. abſentia. ff. de regul. iur.

Abſentia plus facit, quàm præſentia cum contradictione. Vlpian. in l. item ſi unus. §. Celſus quoque. ff. de recept.

Abſens per diſtantiam loci habetur. Pomponi. in l. ſic, & ttibus. ff. eod. titul. & l. mulierem. ff. de ritu nupt.

Abeſſe res uidetur quatenus ſum præſtaturus. Vlpi. in l. plane. §. quod ſi rem. ff. de leg. j.

Abeſſe nõ uidetur qui ab hoſtibus captus eſt, ſed qui à latronibus detinetur. Vlpian. in l. abſentem. §. abeſſe. ff. de uerbor. ſignificat.

Ablatiuus abſolutus facit conditionem. l. à teſtatore. ff. de conditio. & demonſtrat. l. de ſubmerſis. C. de naufragijs.

Abigei ſunt, qui pecora ex paſcuis, uel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur: & abigendi ſtudium quaſi artem exercent, equos de armentis, uel oues